

2.

SPECIMEN HISTORICUM
DE
VETERE CARELIA
ANTE OCCUPATIONEM SVECANAM;
QUOD
CONS. AMPL. FAC. PHILOS. ABOËNS.
PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT

AUCTOR

GABRIEL REIN,

Amanuensis ad Bibl. Acad. Extraordinarius,

&

RESPONDENS

CAROLUS HENRICUS LINDEQUIST,

Stip. Publ.

Wiburgenses.

Sectionis primæ

P. II.

In Audit. Philos. die 26 Februarii 1825.

h. p. m. c.

ABOÆ, Ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT
5712 S. UNIVERSITY AVE.
CHICAGO, ILL. 60637

Dear Mr. [Name]:

I have your letter of [Date] regarding [Subject].

I am sorry that I cannot [Action].

Very truly yours,

[Name]

[Title]

[Address]

[City, State, Zip]

[Phone Number]

[Fax Number]

[E-mail Address]

In Reply, please refer to [Reference Number].

[Enclosure]

Thank you for your interest in [Subject].

Sincerely,

[Name]

- 2) **TORF.** Hist. Norv. P. I, p. 160: "*Sunt autem Kiriali vel Careli gentes sedibus distinctæ, — Et hi de quibus nobis sermo, litus Carelstrandæ, vicinumque tractum circa maris Albi septentrionalia incolentes. — Reliqui Kareliam Finlandiæ australi laterali adsitam inhabitant.*" Cfr. Mapp. geogr. ad *Helmökringla* a Cel. SCHÖNING edit. affix.
 - 3) Cfr. Tabulam geogr. versioni Russicæ operis Lehrbergiani adjunctam.
 - 4) Varia occurrunt argumenta, tempore Svecani domini Sævolaxiam quoque Careliæ nomine fuisse comprehensam: vid. PORTH. ad Juust. p. 132 & Syll. Monum. p. 78 sq; e dialecto Carelica nunc quoque in Tavastia aquilonari & Ostrobotnia orientali usitata, colligi etiam potest, nostros eousque penetrasse, ibique domicilia sua collocasse; num vero iis jam temporibus, de quibus nobis est sermo, idem valuerit, statuere non possumus.
 - 5) Probantur hæc literis Regis CHRISTOPHORI a. 1442 datis, quæ reperiuntur in *Bihang till 1785 års Åbo Tidning* S. 58: *Biscop MAGNUS i Åbo haffuer of beråth, at mellan Söfmes kirkio i Tavastelandh of Sawlar kirkio i Karela åre XVIII mils wågh, of tha Biscopen haffuer ther imellan farith, som honum bår hwart tridhje aar wifitera, eller annat got folk ther milan fara, Tha haffua the ligath på markena eller ysen (ob defectum scilicet diversorii & incolarum).*
 - 6) **KARAMS.** Ч, I, смп. 37.
 - 7) Hanc sententiam fovet Cel. Porthan: ad Juust. p. 87 & Syll. Monum. p. 43.
 - 8) Vid. SCHÖNINGES *Norges Rikes Historie*, D. I, S. 489 & Mapp. geogr. eid. affix.
- 9) Nulla

9) Nulla enim fit mentio aliarum gentium, quas habitaculis suis depulissent Slavi, qui scilicet quiete consedisse & urbem suam fundasse videntur; unde MS. NEST. Bibl. Aboëns: Тѣжъ Словяне пришедше с Дуная и сѣдоша около озера Илменя и прозвашася своимъ именемъ и здѣлаша градъ и нарѣкоша его Новѣгородъ. Cfr. Schösz. Nest. Th. 2, S. 83 ff. Secundum sententiam Cel. EWERS, qui scilicet in Wolochis Nestoris (ВОЛОХОМЖЕ нашедшимъ на Дунайскія Словяны и сѣдшимъ вниихъ и поселишася премного: NEST. Av.) Slavos e Danubio depellentibus (nomen e Slav. волочусь, circumvagos, deducens,) nomadas in universum & hoc loco Bulgaros intelligendos esse vult, migratio hæc Slavorum in Rusiam circa medium seculi septimi contigit. Vid. ej. Krit. Vorarb. zur Gesch. d. Russ. S. 7 f. Cum autem apud Nestorem Bulgarorum quoque occurrat nomen, neque igitur idem chronographo ignotum esset, Ill. KARAMZIN (Ч. I. стр 30 и прим. 65), Wolochos ab iis sejungit, & hos hodiernos Walachos fuisse contendit, sed etiam sic tempus, quo Slavi Danubium reliquerunt, in seculum septimum vel octavum incidit.

10) Cfr. PORTH. ad Juust. p. 61 sqq.

11) Nisi forte nomina QUÆNI & HUNI eandem gentem significaverint? Vid. NEIKTER: Diss. de Vestigiis Hunorum in Svecia & aliis septentrionalibus regnis; Upsal. 1791 §. III. & IV. It. ejusd. Disquisitiones ulteriores de Vestigiis Hunicæ gentis. Ups. 1794, p. 11.

§. IV.

Enarrato a NESTORE ingresso Slavorum in Rusiam, ad denumerandas cæteras gentes vel patriam ejus vel viciniam tenentes pergit, quas quoque tributarias populo

pulo suo fuisse contendit 1). Occurrit in catalogo hocce nomen Tschudorum, quod tamen utpote commune pluribus nationibus Fennicis dubium relinquit, quoniam Tschudi heic sint intelligendi, quare Schlözer 2) Estones tantum significari vult. Scimus tamen tempore Wolodimiri Magni fines imperii Ruthenici jam ad sinum Album & maris Glacialis viciniam dilatatos fuisse 3), quare neque gentibus eam plagam tenentibus ignoti ulterius permanere potuerunt Rusfi, neque igitur appellatio a Lapponibus iis indita recentiore facile habet originem. Jam autem ab his non proprio sed Careliorum nomine (Karjelah) nuncupatos, terramque eorum Karjelah rivi appellatam fuisse constat 4); quæ res certo nobis inservire videtur documento, nostros hoc tempore imperio Rusfico jam paruisse: alioquin enim definiri nequit, unde Lappones ansam arripissent proximorum finitimorum nomen ad denotandam universam Russiam transferendi. Ubi porro ad ea attendimus, quæ ab ADAMO BRFMENSI de commercio civitatis Julini cum Græcis (Rusfis 5), a STURLONIDE & TORFÆO 6) de antiqua mercatura in Holmgard vel Ostragard facta afferuntur, vix credi potest, eam saltem Careliæ partem, quæ Nevam fluvium adjacebat, Rusficæ non fuisse ditionis Careliis namque, ad rapinam maritimam pronis, advectas litoribus suis naves aggrediendi, optima erat occasio, neque certe eam prætermisissent, nisi amica & associata iis fuisset gens, ad quam tendebant mercatores. Quod si ALDEIGOBURGUM in historiis Islandicis famosum 7), uti nonnulli autumant, in Carelia, scilicet in vicinia hodiernæ Petropolis fuisset situm 8), regionem etiam circumjacentem jam WOLODIMIRI MAGNI tempore ad ditionem Rusforum pertinuisse, dubio careret; enimvero pro re certa & expedita habemus, urbem hoc nomine nuncupatam fuisse veterem Ladogam fluvio Wol-

Wolchow adjacentem 9). Sententia autem nostra ulterius firmatur narratione de Erico Jarlo Norvego, ab Olavo Trygvonis filio patria expulso. Circumvagatus namque ille piratarum more Gothlandiæ & Winlandiæ litora, ac per aliquod tempus in Svecia commoratus "*orientem versus tetendit, & in regnum Waldemari regis delatus, homines infestare, omnia quæ prætervehebatur exurere, terramque devastare coepit; Aldeigoburgum pervenit, obsidione prescit & occupavit*" 10). Antequam autem urbem cepisset, rapinis intentus, Nevam fluvium transierit necesse est, cujus ripam borealem tenebant Carelij, quibus igitur certe non pepercerit, & tamen regnum Waldemari tantum deletum fuisse narratur; quare isti eodem tempore imperio ejus paruisse censendi sunt. Anno 1042 hujus rei certissima reperimus indicia: tum namque Wolodimirus Jaroslavides arma intulit Tavastis, idque terrestri itinere, unde colligere licet omnes Carelios australem quoque Russis jam fuisse subditos, & eosdem Tschudis Nestoris esse annumerandos 11). Quo autem tempore hæc Careliorum subjectio facta sit, ex Annalista haud constat; nullibi enim ejus rei expresse fit mentio. Quum autem de remotioribus temporibus manca tantum & abrupta servata esset rerum gestarum narratio, Chronographus venerabilis, haud sectans exempla plurium mediæ ævi Scriptorum, defectum fontium fictionibus explentium, in expositione factorum Rurici lacunam reliquit plurium annorum, in quibus quæ evenissent, plane nos laet. Inde Ill. KARAMSin, hoc tempore Ruricum bellis cum populis Fennicis, proximis ejus confinibus, fuisse occupatum, suspicatur 12), neque hoc improbabiliter, cum circa prima imperii initia nostros cum Russis fuisse conjunctos dubio careat. Narratio tamen quæ in quibusdam annalium Manuscriptis occurrit, Slavos scilicet nimiam a primo Principe usurpatam potestatem ægre tulisse

lisse & feditiones movisse 13), ambiguum facit fidem, numne his impeditus fuisset Ruricus, quominus arma exteris inferret gentibus; præterea vestigia nonnulla antiquioris Careliorum cum Russis conjunctionis occurrere nobis videntur. Sequentium autem Imperantium temporibus vix subacti esse possunt nostri; teste enim Nestore proximi Rurici succesores bellicis factis, contra gentes meridionales susceptis erant occupati.

1) MS. Nest. Av: A sin supъ языцы, копорые дань даюпъ Руси: Чюдъ, Мерея, Вель, Мурома, Мордва, Пермь, Печера, Емь &c. Cfr. Schlöz. Nest. Th. 2, S. 105.

2) Schlöz. Nest. Th. 2, S. 40.

3) Zwerns Geschichte der Russen. S. 25. KARAMS. Ист. Росс. Ч. II, прим. 64.

4) Vid. LINDAHL & OEHRLINGS Lex. Lapp. sub art. "Ryss."

5) Hist. eccl. cap. 66. Nomine *Græcorum* hoc loco Russos esse intelligendos, ex auctore ipso apparet, qui ubi de metropoli Russiæ "*Chive*" sermo est, eandem "*amulam sceptri Constantinopolitani, clarissimum decus Græciæ*" appellat.

6) Snorre Sturlesons *Heimskringla* ed. PERINGSKÖLD, I, 448, II, 13; TORF. Hist. Norv. II, p. 68.

7) *Heimskr.* ed. PERINGSK. I, 517 & 829, II, 1 & 74.

8) Schlöz. Allg. Nord. Gesch. S. 500 f.

9) Occurrit namque in pacto Novgorodiensium cum Gotlandensibus & Germanis inter annos 1219 & 1293 (cfr. *KARAMŠIN Ч III, прим. 244*), inito, quod typis reperitur excusum in *DREYERI Spec. jur. publ. Lubec. p. 177 sqq.*, nomen *ALDAGEN* lacui *Ladogæ* inditum, a quo etiam urbs ejusdem appellationis, inter *Ingriam* & *Novgorodiam* sita, haud procul aberat; eam prætervehi debebant mercatores, quo ad metropolin reipublicæ pervenirent. A *Russicis* Scriptoribus emporium jam *Rurici* tempore, in eadem regione situm, item ipse lacus vicinus dicitur *LADOGA*. *ALDAGEN* & *LADOGA* eundem igitur significare locum dubio caret. Eum copiose fuisse frequentatum a mercatoribus, ecclesiæ *St. Petri & Nicolai*, ibidem ipsis propriæ satis probant. Similitudo vero vocum *ALDEIGO* (*Aldeigu Borgar* separatim scribunt), & *ALDAGEN* tam manifesta est, ut inde jam credas, idem spectare nomina hæcce; præterea vero effata *Scandianorum* de *Aldeigoburgo*, quod nempe stationem exstitisse perhibent *Novgorodiam* petentibus usitatam, optime ad *Veterem Ladogam* referri possunt. — Præter opera *Sturlonidis*, plurimæ quidem aliæ sic dictæ *Sagæ Islandicæ* tam fabulosam jam induerunt formam ut etsi aliquid veri contineant, vix fictionibus secerni & purgari queant; quare ad *Historiam* illustrandam (nisi forte ad mores gentis depingendos,) parum vel nihil potius conducunt; in *Geographia* tamen non omni carere auctoritate easdem putaverim, cum *Sagarum* scriptores cognitionem terrarum, qualis eorum tempore erat, exposuerunt. Quare non minorem iis, ac *Homero* vulgo a *Geographis* habetur, tribuerem fidem. Eos igitur testes, ad rem nostram probandam, proferre non dubitamus. Narratur e. c. *Rolfphum Sturlogsonium* (*Gånge Rolfs Saga öfv. af Liljegren, S. 128 och 135*;) arma illaturum *Erico* regi maritimo (*Sjökonung*), qui vi *Gardarikiam* occupaverat, ponto velis trajecto, fluvium

vium ingressum fuisse, & in vicinia Aldeigoburgi prælium cum hoste commisisse. Dicitur quidem Rolphus ad flumen Duna appulisse, quod tamen inscitæ auctoris tribuerem, cui scilicet nonnisi maximus Russiæ fluvius in mare Balticum sese effundens innotuisse, nomen vero Neva (e voce Fennica *Нева*, "palus", uti videtur ortum) ignotum mansisse videtur. Nemo enim unquam contendit Aldeigoburgum in propinquitate Dunæ fluvii fuisse situm. — His & aliis ab Ill. KARAMIN (Ч. I, ПРИМ. 485) expositis argumentis innisi, de situ veteris illius a Scandianis sæpe laudatæ urbis ulterius dubitare non possumus.

10) Heimskr. ed. PERINGSK. I, 318: — oc siglbi i austur veg. Enn tha hann com i rífi Valldimars Kong toc han at heria manfolc, oc brenna allt thar sem hann for, oc eyddi landit, han com til Aldeigu borgar oc settiz thar um, thar til er hann vann stathinn.

11) KARAMIN Ч. II, смп. 29. Lehrberg úb. d. Zem. in l. c. p. 115 sq.

12) Ч. I, смп. 121—122.

13) Schlöz. Nest. 2, 200 f. 239 f. SCHTSCHERBATOWO Истoria Россійская, Ч. I смп. 193 sq. Cum nonnisi in duobus vel potius in uno codice Nestoriano, scilicet in PATRIARCHALI (e quo NICONIANUS descriptus putatur) qui, uti perhibet SCHLÖZER, seculum XVI antiquitate non superat & præterea pejoris est notæ, res hæcce narretur, Ill. KARAMIN, eam fide minus dignam æstimasse & inde silentio transiisse videtur; variæ tamen considerationes nos a sententia viri meritissimi & celeberrimi discedere jubent. Primum enim non semel sed bis codices Patriarchalis & Niconianus commemorant, quam ægre tulerint Slavi imperium Ruric; seditionem ortam nonnisi capitis damnato duce Wadim sedatam esse enarrant; & paullo

post, haud contemnendam multitudinem Novgorodiam ejusque principem deseruisse & Kioviam migrasse referunt. Tum quoque opus sic dictum спешенная книга ejusdem rei facit mentionem (cfr. Schlöz, Nest. II, S. 203), neque tamen ex allatis codicibus Nestorianis hausisse potest, cum iisdem vix recentius sit (Schlöz, Nest. I, S. 58 u. II, Vorbericht S. 11); aliis igitur testibus ejusdem auctorem usum fuisse, persuasum nobis habemus. Imprimis tandem assertionem hancce probabilem nobis reddit, consensus ejusdem cum genio temporis & rerum conditione. Vix namque cogitari potest Slavos, nativa libertate eoque usos, quique paullo ante Warægos tributum exigentes depulerant, novam istam rerum rationem, utcumque servandæ quietis causa primo intuitu exoptabilem, semper æquo tulisse animo, cum non tantum Principi suo, uti fas est, tributum solvere cogentur, sed provinciæ quoque a Rurico administrandæ traderentur popularibus suis (cfr. Schlöz, Nest. II, S. 207), non vero indigenis — Neque in universum omnia quæ reperiuntur in recentiore codice eo ex capite rejicienda putamus, quia desiderantur in antiquiore & meliore; haud raro enim occurrunt in Manuscriptis pejoris notæ indicia veritati consentanea, quibus carent emendatiora. Nestor e. gr. quem servat Bibliotheca nostra Academica, utpote seriori descriptus tempore, minorem certe meretur fidem, nihilominus tamen "*Ruricum statim Novgorodiam sedem sibi elegisse*" (и пришедше старѣйшій Братъ Рюрикъ съде вНовѣгороде), recte perhibet: (Cfr. KARAMZIN Ч. I, стр. 115, и прим. 278); Codices RADZIVILIANUS & HYPATICUS e contrario, qui optimis annumerantur, falso Ladogam regiam indicant. Vid. Schlöz, Nest. II, 188 ff.

S. V.

Repetentibus nobis res ante imperii Rusfici initium gestas, narratio sese offert hunc in modum relata: "Anno ^{"M.} 6367 (post Chr. 859) 1) venerunt Warægi trans mare, & tributum imposuerunt Slavis, Tschudis, Meris, ^{"(Wessis 2) & Krivitschis"} 3). Apud omnes Scriptorum jam in confesso est, primos hosce, quorum a Nestore fit mentio, WARÆGOS fuisse de gente famosa NORMANNORUM, qui divitias & (pro genio atque consuetudine temporis,) eximiam gloriam acquisituri 4), per maria circumvagati oras Germaniæ, Galliæ, Britanniæ aliarumque regionum clasibus maritimis infestabant. Neque potentiores eorum in litoribus solum remanserunt, sed opportuno per fluvios aditu usi, interiores terrarum partes intraverunt, regesque ad concedendas sibi provincias coegerunt. Historiæ Islandicæ, quæ memoriam rerum, a majoribus Scandianorum fortiter gestarum, utcumque cæteroquin fabulis intertextam, posteritati servarunt, referunt, non tantum occidentem & meridiem, verum etiam orientem versus (i. Ælustr veg) frequenter susceptas fuisse tales expeditiones. Ejusmodi igitur excursionem, teste Nestore, circa medium seculi noni moliti sunt Normanni seu Warægi, qua non solum usque ad SLAVOS NOVGORODIENSES penetraverunt, verum etiam MERIS (quorum metropolis Rostov in hodierna præfectura Jaroslav,) WESSIS (ad lacum Album in provincia Novgorodiensi habitantibus,) & KRIVITSCHIS (meridiem versus a lacu Peipus in territorio Plescoviensi domicilia tenentibus,) tributum imposuerunt. Tam vasto igitur hodiernæ Russiæ ambitu a Warægis tributario reddito, quis facile cogitaverit, incolas, qui introitum, quo via ad Slavos, Wessos & Meros duceret, scilicet ripas Nevæ fluvii tenebant, ab ipsa incurfione liberos permansisse. Quare in Tschudis Nestoris hoc quoque loco Carelii sunt quærendi,

di, licet etiam Estones eidem fato fuerint obnoxii. Sententia hæcce nostra e STURLONIDE egregie confirmatur: Occurrit enim apud eum relatio expeditionis cum ista ab Annalista Rusfico memorata, temporum locorumque ratione adeo congruentis, ut haud temere de eadem re in utroque Scriptore sermonem esse nobis persuadere audeamus. In comitiis namque regni Svecici, THORNGNYRUS, legifer, testatur: "*Ericum Edmundi Upsaliae regem, in juvenili ætate, sua ditionis fecisse,*" (i. e. ad tributum solvendum coëgisse,) "*Fenniam, Careliam, Estoniam,*" (a Tschudis Nestoris habitatam, uti apud omne in confesso est,) "*Curoniam aliasque terras orientem versus late patentes*" 5). Postquam XLVII annis imperio præfuerat, diem obiit supremum rex hicce anno 885 6), circa medium seculi noni igitur florenti adhuc vixit ætate. Haud exiguam omnino fuisse copiam Waragorum, e vasto terrarum, in quem arma intulerant, ambitu colligere licet, neque igitur a parvo quodam regulo, sed a potentiore rerum dominatore perpetrata esse possunt famosa hæcce facinora. Opibus vero tum temporis in Svecia prævaluit ERICUS Upsaliae rex. SCHLÖZ R quidem huicce a Nob. LAGERBRING 7) susceptæ sententiæ refragatur, asserens "*in ducibus ejusmodi expeditionum reges non esse quærendos sed piratas*" 8): cavendum autem ne antiquorum regum mores & facta e nostræ ætatis indole dijudicemus vel metiamur 9). Nostri temporis cultura, imperantium majestas & potentia eos diversissimos facit, qui cum medii ævi proceribus comparentur, quibus scilicet res piratica minime ignominie tribueretur, quare centies in Snorrone & Sagis romanticis Islandorum occurrunt reges eadem occupati; imo laudi sæpissime ducitur eos juvenili adhuc robore vigentes, tempora æstiva in rapinis maritimis consumsisse. CHOROS i. e. Curoniae incolas hoc tempore Sveciæ fuisse tributarios, RIMBERTUS quo-

quoque testatus 10), Snorronis affirmat effatum. Quibus rerum monumentis in unum computatis atque æqua lance pensatis, ei imprimis momento attendentes, quod ab utroque auctore Estonia subjugata perhibetur, laudatam Nestoris narrationem ad Ericum Edmundi, qui Fenniam, Careliam, Rusfiam aliasque terras vi perdomuit, referre haud dubitamus 11) Commota autem deinde a Slavis fociisque eorum seditione, quippe qui exactores tributi vi expulissent 12) Ericus iisdem iterum arma inferre vel noluit, quia reliquam vitam ab expeditionibus maritimis procul habere decrevisset 13), (præcipue cum non semper Normannis in animo esset perpetuum aliquod & stabile apud exteros fundare imperium 14), vel bellis in Scandinavia ipsa 15), in primis cum HARALDO PULCHRICO, Norvegiæ rege, quo Vermelandiam sibi subiceret 16), gestis impeditus, haud valuit. In expeditionibus postea a STYRBIORNO & ERICO VICTORIOSO susceptis Careliæ nulla fit mentio: prior scilicet orientem, propiori terrarum vel regionum indicio omisso, infestasse, non tamen sub potestatem redegisset, dicitur 17); posterior Curoniam, Livoniam, Estoniam, Fenniam victricibus armis subjugasse perhibetur 18). Carelii e contrario iis adscribendi videntur Tschudis, qui conjuncti cum Slavis Krivitschis, Meris & Westis Russo-Warægos principes Ruricum, Sineum & Truvorem 19) advocasse, eoque prima imperii Rusfici fundamenta poluisse feruntur. Fenni autem cæteri hujus consilii non videntur fuisse participes, cum anno demum 1042 arma iis intulisset WOLODIMIRUM JAROSLAVIDEM 20) memoriæ proditum sit. Neque postea unquam stabile in ipsos imperium obtinuisse videntur Rusfi, quod ex ipsa commentatione Lehrbergiana, qua sententiam contrariam probandam sibi proposuerat Auctor inclytissimus, luculenter apparet; unde KARAMSIN: *"Nestor annumerat Famos tributariis Rusfiæ, i. e. Novgorodi."*

"rodienfes Fenniam intrarunt, vel quo tributum colligerent,
"vel ut terram devastarent 21)."

- 1) Primas chronologicas annalium Russicorum computatio-
nes non adeo determinatas & extra dubium positas esse,
quin numero quorundam annorum a vero aberrent, recte,
nostro iudicio, suspicatur Ill. SCHLÖZER (Nest. III, §. 7 ff.)
circa medium seculi noni irruptionem Warægicam tamen
factam esse, credere licet. Eandem sententiam fovet Ill.
KARAMSIN, Ч. I, стр 51 sq.
- 2) WESSORUM quidem nomen in codicibus Nestoris deest;
cum autem metropolin eorum, Белозеро, sedem sibi
jam elegerit SINEUS, haud immerito ut putamus, SCHLÖZER,
aliis præterea innixus argumentis, eos fundatoribus impe-
rii Russici & participibus rerum præcedentium connume-
rat. Vid. Schlöz. Nest. III, §. 16. Verba nimirum ВѢСЬ
и Кривичи, quorum prius abbreviatum erat, librariorum
vel incuria vel male sedula in transscribendo præcipitan-
tia, in vocabula всѣ Кривичи facile submutari potuerunt.
Cui opinioni etiam adsentiri videtur Cel. Krug: Byzant.
Chronol. mit Rücksicht auf Rfd. §. 188, Num. 2.
- 3) Vid. Schlöz. Nest. II, §. 153 ff: Nest. Ав: Влѣшо 6367
(859) брали дань Варяги изаморя на Чуди и на
Словѣнѣхъ и на поморянехъ и на всѣхъ Кривичехъ;
- 4) Sic e. c. de ROLPHO WESTROGOTHO dicitur: "Aestate sem-
per expeditionibus navalibus erat occupatus, ut gazas &
gloriam sibi compararet." Götreks och Rolfs Saga, ed.
VERELIUS, p. 162.
- 5) Heimskr. ed. PERINGSK. I. p. 484 sq: Eiref Upsala Kong Eys-
mundar son, — methan han var a lettafa alltri, — lagthi undir
sig Finnland oc Kyrialand, Eysfland oc Kurland, ok vytha um au-
stur landd.

6) Cfr.

- 6) Cfr. Diss. Celeberrimi NEIKTER: De anno quo obiit Ericus Edmundi, Rex Svecorum. Upsaliæ 1796. §. §. V. et VIII.
- 7) Svea Rites Histor. D. I, S. 596.
- 8) Schlöz. Nest. II, S. 291, Num.
- 9) Unde de proceribus Scandinaviæ Cel. Rûns (Gesch. Schwedens, I, S. 11) hæc habet: An die Vorstellung von Größe, die wir an diesen Ausdruck (König) zu knüpfen gewohnt sind, denke man nicht: Stammoberste, Ordensanführer, Hauptleute im Kriege und auf Streifpartheien werden mit diesem Namen belegt. — Et S. 16: Die Skandier gewannen überhaupt durch kriegerische Unternehmungen einen Theil ihres Unterhalts: auch die Fürsten verschmähten diese Art des Erwerbes nicht.
- 10) Vita Sti. Anscharii, Cap. XXVII.
- 11) À primis hisce Warægis etiam Carelios subjugatos fuisse, suspicatur quoque SCHTSCHERWATOWO: Исп. Росс. Ч. I, стр. 105.
- 12) Nest. Ав: Влѣно 6370 (862) воспаша Кривичи, и Словенъ и Чюдъ и Меря на Варяги и прогнаша ихъ заморе, и дани престаша давати. Cfr. Schlöz. Nest. II, S. 168.
- 13) Ita fuisse moris heroum Scandianorum plura reperiuntur vestigia; sic in Orwar Oddö Saga öfw. af Liljegren, S. 64, dicitur: Nu segla Gudmund och Sigurd norr til Rafnista, fátta sig der i stillhet och wilja upphöra med hárnad.
- 14) Cfr. PORTH. ad Juust. p. 90.
- 15) Supersunt namque nobis argumenta Ericum Edmundi omnes Sveciæ regulos suo submisisse imperio, licet singulorum

lorum horum bellorum desideretur plena narratio. Cfr. NEIKTERI Diss. in nota 6 cit. §. IX.

16) Lagerbr. Sw. N. Hist. D. I, S. 167. Torf. Hist. Norv. P. II, p. 16 sqq.

17) Torf. H. N. II, p. 293.

18) CHRON. RHYTHM. MINUS:

Estland, Lifland, Curland of Finland
Dem wan iaf alt med Sigers hand,
Och radde ther öfver i mina dagha.

Reg. Svecic. Scriptt. Tom. I, Sect. I, p. 255.

19) NEST. Ав: Послаша кВарягомъ заморе и просиша ихъ дабы дали имъ владешеля земли словенской, кнейже и прочи присовокупляющся, якожъ Кривичи, Чюдь и прочия народы. Cfr. Schlöz. Nest. II, 171. KARAMZIN Ч. I, стр. 114.

20) Conjectura namque Cel. LEHRBERG: jam antea tributarios fuisse Fennos imperio Russico, (üb. d. Zem. in l. c. p. 117), probabilibus destituta est argumentis. MESSERNIUS (Scand. illustr. T. X, p. 3) hæc habet: "*Finni si- milem non raro Martis aleam*" (haud simplicem fortunam) "*experiantur cum Svecis & Ruthenis, nunc jugo illorum subdentes colla, nunc illud excutientes, præter Carelos, qui Ruthenis patientius succollantur.*" Cfr. ejusd. Finlands Rim-Kronika S. 13.

21) Ч. II, прим 35.